



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

S. Avrel. Avgvstini Confessionvm Libri X

Augustinus, Aurelius

Coloniae, 1646

Cap. V. Peccata communiter non committi, nisi ex appetitu inordinato
adipiscendi bona infima, vel metu ea amittendi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10120

54 S. AVR. AVGUST. CONFES.

2.2. q.8.a
1.c. & q.
27.a. 1.c.

a. Physic.

Valent.
2.2. d. 6.
q. 8. p. 1.

Psal. 72.
28.
Psal. 36.9.

teste S. Thom. quia appetitus & amor est inclinatio appetentis in aliquid, nihil autem inclinatur nisi in aliquid sibi conveniens, sive connaturale & proportionatum, adeoque bonum, nam quod deficit à convenientia, connaturalitate & debita proportione, omnium judicio malum est. Quia vero appetitus sensitivi & voluntatis inclinatio sequitur bonum, ut in apprehensione existit: hinc possumus aliquid appetere, quod non est vere bonum, sed solum apparenter, secundum nostram apprehensionem, unde Aristoteles dixit: quod finis est bonum, vel apparet bonum. Tale bonum erat in apprehensione Augustini, libertas faciendi impune, quod non licet, ex ipso peccantium confortio magis dulcescens.

b Malitia mea causa nulla esset, nisi malitia) Nulla ratio boni delectabilis, vel utilis Augustinum movit ad furtum, sed sola libido utendi illicita libertate. Hanc pravam voluntatem appellat S.D. malitiam, quia est causa malae electionis, quae scienter eligitur peccatum, non ob commodum aut delectationem, quae ex re, verbi gratia pomo percipitur, sed ex ipsa transgressione legis, quantum apprenditur, ut actus sive exercitium falsae libertatis. Hoc sensu dicit S. D. se amasse perire, & non illud ad quod deficiebat, nempe poma, sed defecit ipsum, sive furtum: non sub ratione mali, sed boni apparentis, & sub tenebrosa omnipotentiæ similitudine ut ait cap. seq.

c Dissiliens à firmamento tuo) id est lege divina, quæ firmat hominem in Deo, cui adherere bonum est, qui vero malignantur exterminabuntur.

C A P. V.

Peccata communiter non committi, nisi ex appetitu inordinato adipiscendi bona infra, vel metu ea amittendi.

i. **E** Tenim species est pulchris corporibus, & auro, & argento, & omnibus, & in

& in contactu carnis, congruentia valet plurimum, cæterisque sensibus est sua cuique accommodata modificatio corporum. Habet etiam honor temporalis, & imperitandi atque superandi potentia suum decus: unde etiam vindictæ aviditas oritur. Et tamen in cuncta hæc adipiscenda, non est egredendum abs te Domine, neque deviandum à lege tua. Et vita, qua hic vivimus, habet illecebram suam, propter quendam modum decoris sui, & convenientiam cum his omnibus infimis pulchris. Amicitia quoque hominum caro nodo dulcis est, propter unitatem de multis animis.

2. Propter universa hæc atque hujusmodi, peccatum admittitur: dum immoderata in ista inclinatione, cum extrema bona sint, meliora & summa deseruntur, tu Domine Deus noster, & veritas tua, & lex tua. Habant enim & hæc ima delectationes, sed non sicut Deus meus, qui fecit omnia, quia in ipso delectatur justus, & ipse est delitiæ rectorum corde. Cum itaque de facinore queritur, qua causa factum sit, credi non solet, nisi cum appetitus adipiscendi alicujus illorum bonorum, quæ infima diximus, esse potuisse apparuerit, aut metus amittendi. Pulchra sunt enim & decora: quanquam præ bonis superioribus & opibus beatificis, abjecta & jacentia.

3. Homicidium fecit. Cur fecit? Adamavit ejus conjugem, aut prædium; aut voluit deprædari, unde viveret; aut timuit ab illo tale aliquid amittere; aut Iæsus ulcisci se exarsit. Num homicidium sine causa faceret, ipso homicidio delectatus? quis cre-

diderit? Nam & de quo dictum est vecor-
 Gallust. de di, & nimis crudeli homine, quod gratis
 conjur. potius malus atque crudelis erat, praedicta est ta-
 Catil. men causa, ne per ocium, inquit, torpesceret manus
 aut animus. Quare id quoque? cur ita? Ut
 scilicet illa exercitatione scelerum, capta
 urbe, honores, imperia, divitias assequere-
 tur: & careret metu legum, & difficultate
 rerum, propter inopiam rei familiaris, &
 conscientiam scelerum. Nec ipse igitur Ca-
 tilina amavit facinora sua, sed utique aliud,
 cuius causa illa faciebat.

V. S V S.

Salutare & intimo cordi insculpendum suggerit
 principium, *Habent hæc imæ delectationes, & pul-
 chra sunt & decora, hinc tentatio, hinc concipi-
 scencia, hinc ruina. Evades, si cogitabis & cre-
 des, quod addit S. D. sed non sicut Deus meus,
 qui fecit omnia, sed præ bonis superioribus & opibus
 beatificis, abjecta & jacentia. Placeant creature,
 sed infra creatorem, & non abducent à Crea-
 tore.*

C A P. VI.

*Peccata fallere umbraticâ boni alicuius spe-
 cie, quod purum & liquidum est in solo
 Deo: in furto autem se dilexiisse falsam
 libertatem.*

I. **Q**uid ergo miser in te amavi, ô fur-
 tum meum, ô facinus illud meum
 nocturnum, sextidecimi anni ætatis meæ?
 Non enim pulchrum eras, cum furtum es-
 ses; aut vero aliquid es, ut loquar ad te?
 Pulchra erant poena illa, quæ furati sumus:
 quoniam,